



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. lxxviii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

qui hoc non ambitu, nec propria voluntate facit, sed aut via propria sede pulsus, aut necessitate coactus, aut utilitate loci, aut populi, non superbè, sed humiliter ab aliis translatus & inthronizatus est: quia homo videt in facie, Deus autem in corde. Et dominus per Prophetam loquitur, dicens: Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem, nec mutat ciuitatem, qui non sua sponte, sed consilio & electione aliorum mutatur. Non igitur migrat de ciuitate ad ciuitatem, qui non auaritiæ causa spontè dimittit suam: sed. vt iam dictum est, aut pulsus à sua, aut necessitate coactus, aut electione, aut exhortatione sacerdotum & populorum translatus est ad alteram ciuitatem. Nam sicut episcopi habent potestatem ordinare regulariter episcopos, & reliquos sacerdotes: sic quoties utilitas, aut necessitas exposcerit, supradicto modo & mutare, & inthronizare potestatem habent.

De eadem re. Cap. LXXVIII.

Episcopus aut presbyter vxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abiiciat. Si verò reiecerit, excommunicetur. Sed si perseuerauerit, deiiciatur. *Ex cano. nibus a- posto.*

Item ex eodem. Cap. LXXIX.

Osus episcopus dixit: Non minus mala consuetudo, quàm perniciosa corruptela funditus eradicanda est, ne cui liceat episcopo de ciuitate sua ad aliam transire ciuitatem. Manifesta est enim causa, pro qua hoc facere tentat: quum nullus in hac re inuentus sit episcopus, qui de maiore ciuitate ad minorem transfret. Vnde apparet auaritiæ ardore eos inflammari, & ambitioni seruire, & vt dominationes agant. Si omnibus placet, huiusmodi pernicies sæuius & austerius vindicetur, vt nec laicam communionem habeat qui talis est. Responderunt vniuersi: placet. *Ex cõcil. Sardicēsi. Cap. 1.*

De episcopo qui in sua fuerit persecutus Ecclesia, quòd ad aliam ei sit fugiendum.

Cap. LXXX.